S. Joannes Cantius.

Indulgentiae a Ssmo D. Nostro Clemente XIII. Papa Coronis, Rosariis etc ex occasione canonizationis St. Joannis Cantii etc concessae

A. D. 1767.

INDULGENTIÆ
A
SSmo Dño Noſtro
CLEMENTE XIII.
P A P A

COronis, Roſariis, Crucibus & Numiſmatibus Sacris ex occaſione Canonizationis Sanctorum JOANNIS CANTII Preſbyteri Sæcularis, JOSEPHI CALASANTII Fundatoris Scholarum Piarum, JOSEPHI de *Cupertino* Presbyteri Ordinis S. Franciſci Minorum Conventualium, HIERONYMI EMILIANI Fundatoris Ordinis Somaſcorum, SERAPHINI DE MONTE *Granario* vocati d'ASCOLI Laici Profeſſi Ordinis Patrum Capucinorum, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT *de Chantal* Matris Monialium à Viſitatione Beatæ Virginis MARIÆ.

CONCESSÆ

Annô Domini 1767.

Quicunq; consveverit recitare saltem semel in hebdomada Coronam Christi, aut SSmæ Virgini, aut Rosarium vel unicam ejus partem, aut Horas Canonicas, aut Officium Beatæ, aut Defunctorum, sive septem Psalmos Pœnitentiales aut Graduales aut saltim in more habuerit prædicare doctrinam Christianam, aut invisere carcere detentos, aut ægros in Xenodochiis decubentes, aut succurrere inopiæ pauperum, aut interesse Sacro, vel si sit Presbyter illud celebrare, si sincerè detestando peccata sua confessus fuerit ea Sacerdoti à Loci Ordinario approbato, & susceperit SSmã Eucharistiam quocunq; dierum infra expressorum; nimirum: Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis Dñi, Pentecostes, Trinitatis & Corporis Christi, Festô Purificationis, Annuntiationis & Nativitatis Deiparæ, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Festô SS. Apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ Philippi, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi,

Simonis & Judæ, Mathiæ. aut etiam Feſtô S. Joſephi Sponſi Dei Genitricis, aut cujuslibet Sanctorum recenter Canonizatorum, aut cujuſvis Sancti & oraverit devotè DEUM pro extirpatione Hæreſum, & incremento Religionis Catholicæ, pro pace & concordia Chriſtianorum Principum & aliis Eccleſiæ Sanctæ neceſſitatibus conſequetur plenariam Indulgentiam & remiſſionem ſuorum peccatorum.

Qui jejunaverit in Vigilia cujuſcũq; ſigillatim dictorum Sanctorum confeſſus & Sacro Corpore Chriſti refectus die Ipſorum cultui dicato orando ùt ſupra quavis vice conſequetur plenariam indulgentiam.

Qui dolendo pro peccatis ſuis cum propoſito emendationis vitæ viſitaverit infra unum diem ſeptem Eccleſias pro ſuo libitu, & ſi ſeptem non adſint, tot quot inveniuntur, aut ubi unica duntaxat eſt Eccleſia, ſi viſitaverit in ea omnia Altaria, orando ut ſupra pro extirpatione Hæreſum &c. ſemel in Anno conſequetur talem Indulgentiam, ac ſi viſitaret ſeptem Eccleſias Romæ.

Qui piè recoluerit aliquod Mysterium Dominicæ Passionis, & in illius honorem osculatus fuerit septies terram, die hac consequetur Indulgentiam cōcessam SCALÆ SANCTÆ idq; semel tantùm in Anno.

Qui elicuerit actum contritionis & doloris pro peccatis suis cum firmo proposito melioris vitæ, aut sese exercuerit in aliqua virtute, imitando prædictos Sanctos quavis vice consequetur Indulgentiam Septem Annorum & totidem Quadragenarum.

Qui legerit aut audiverit legentem aliquod punctum vitæ dictorum Sanctorum, aut inviserit Eorum Altare, aut cultum impenderit Illorum Imagini, orando pro exaltatione Sanctæ Ecclesiæ pro conversione peccatorum, quavis vice consequetur centum dierum Indulgentiam.

Qui egenis per eleemosynam opitulatus fuerit, aut illos erudiverit, aut ab aliis illos in his quæ salutem & bonos mores attinent, doceri curaverit, quavis vice consequetur centum dierū Indulgentiam. Qui-

Quicunq; exercuerit devotionem erga Sanctissimum Altaris Sacramentum, aut erga Deiparam, recolendo illud Mysterium & beneficia quae ex illo in nos profluunt; aut etiam compatiendo doloribus, quos Deipara sensit in Morte & Passione sui Unigeniti, aut alio modo impendendo cultum Sanctissimo Sacramento & orando pro necessitatibus Ecclesiae Sanctae, quavis vice consequetur centum dierum Indulgentiam.

Qui ad pulsum campanae mane, vespere, & meridie recitaverit devotè solitam Orationem *Angelus Domini* &c. aut hanc ignorans, unum *Pater Noster* & *Ave MARIA*, similiter cùm pulsatur pro defunctis, si recitaverit Psalmum *De profundis*. aut nesciens ejusmodi Psalmum, si recitaverit unum *Pater Noster* & *Ave MARIA*, consequetur centum dierum Indulgentias.

Qui existens Romae, aut in ejus territorio viginti milliaribus distito prae legitimo impedimento non potens adesse solemni Benedictioni, quam *SSmus*

Domi-

A3

Dominus impertiri consvevit, Paschate & Ascensione Domini, si confessus & Sacro Corpore Christi refectus, oraverit pro extirpatione Hæresum &c. consequetur Indulgentiam ac si foret præsens. *Hujusmodi* Indulgentiam consequetur & hic qui non fuerit Romæ nec in ejus Territorio, quocūq; loco reperiatur, exequendo hæc omnia, quæ superiùs sunt expressa.

Quicunq; in vitæ agone Deo piè cōmendaverit animam suam in vocando ore, aut saltem corde SSmum Nomen JESUS, dolendo sincerè pro peccatis, & quemadmodum superiús confessus, & Communione Sacra refectus, aut præ impedimento saltim contritus, consequetur remissionem omnium peccatorum & plenariam Indulgentiam.

Quælibet dictarum Indulgentiarum potest offerri in suffragium animarum inter purgatorii flammas degentiū.

Ad lucrandas dictas Indulgentias sufficit habere Coronam, aut Numisma Sacrum, aut Crucem benedictam á SSmo Dno cum his Indulgentiis, aut etiam benedictā ab illis, quibus ab Ipso

SSmo data fuerit ad hoc ſpecialis facultas, conformando ſe prædictæ Ordinationi etſi ad ejuſmodi orationes perſolvendas aliunde teneatur.

Præcipit SSmus Dnus ut in diſtributione, uſu harum Coronarum, Numiſmatum &c. obſervetur Decretum felicis recordationis ALEXANDRI VII. PAPÆ impreſſum die 6. Februarii 1657 nimirum quòd Numiſmata, coronæ &c. benedictæ cum ſupra expreſſis Indulgentiis nequeunt prodeſſe, duntaxat his perſonis quibus concedentur, aut iis quibus à perſonis habentibus cæteris impertiendi poteſtatem, prima manu datæ fuerint, quod nequeūt commodari aliis, nec etiam donari, alioquin amittunt Indulgentias quas habent, quibùs ſemel amiſſis nequeunt aliæ in earum locum ſubſtitui.

Sua Sanctitas prohibet, ne alio in loco præter Almam Urbem ejuſmodi Indulgentiæ Typis imprimantur, citra expreſſum conſenſum Sacræ Congregationis Indulgentiarum.

Stephanus Borgia Secretarius,
Sacræ Congregationis Indulgentiarum.

Romæ Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1767

A 4

Præsens Copia extracta est ex Originali Authentico adservato in Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum cum quo collationata plenè concordat. Ac insuper Sacra eadem Congregatio Indulgentiis, Sanctisq; Reliquiis præposita concedit facultatẽ ArchiEpiscopis & Episcopis Regni Poloniæ, ac Rectori Universitatis Cracoviensis præsentem concessionis Indulgentiarum Elenchum extra Urbem in quocunq; Idiomate reimprimẽdi, Datum Romæ ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum Die 1. Septembris. 1767.

Stephanus Borgia S. C. Indulgentiarum Secretarius.

Ex Audientia SSmi Die 1ma 7bris 1767.

AD humillimas preces Antonii Zołędziowski Canonici Cathedralis Ecclesiæ Cracoviensis, uti & tanquam Canonizationis S. JOANNIS CANTII Postulatoris, SSmus Dnus Noster CLEMENS PAPA XIII. benigne inclinatus concessit Rmis ArchiEpiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ

facul-

facultatem benedicendi mille Coronas aut Cruces, aut Sacra Numiſmata dummodo non ſint ex ferro, ſtanno, plumbo, vel ex fragili alia materia facilis conſumptionis, eiſdemq; applicandi Indulgentias expreſſas in formula Romæ edita Typis R. C. A. ut ab Eorum ſingulis diſtribuantur occaſione anteactæ ſolemnis ſex. Sanctorum Canonizationis, quos inter S. JOANNES CANTIUS Sacerdos Sæcularis adnumeratur. Datum Romæ ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum.



Stephanus Borgia Sacræ Congregationis Indulgentiarum Secretarius.

Ex Audientia SSmi ut ſupra.

OCcaſione Canonizationis Sancti JOANNIS CANTII, conceſſit SSmus Dominus cuilibet Prælato & Canonico Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis facultatem benedicendi quingentas Coronas, aut Cruces, vel Numiſmata Sacra, iiſdemq; ſupradictas Indulgentias applicandi.

Jam verò per univerſum Poloniarum Regnum cuilibet Curato, Coronas, Cru-

A5

Cruces, &c. trecentas, Cuilibet quoque Vicario suo Vice-Curato Coronas &c. centum quinquaginta benedicendi atq; eisdem suprafatas Indulgentias applicandi, facultatem impertiit.

Visitantibus item Ecclesias, in quibus celebrabitur Octiduum aut Triduum Canonizationis ejusdem S. Cantii concessa est Indulgentia plenaria.

Ex Audientia SSmi Die 1ma Septembris 1767.

AD humillimas preces ANTONII ZOŁĘDZIOWSKI Canonici Cathedralis Ecclesiæ Cracoviensis, uti, & tanquam Causæ Canonizationis S. JOANNIS CANTII Postulatoris, SS. Dnus Noster CLEMENS PAPA XIII. benignè inclinatus concessit Rectoribus, Exrectoribus, Magistris, Doctoribus Facultatum Theologicæ & Juridicæ, itē q; Doctoribus & Magistris inferiorum Facultatum, ac aliis Graduatis, Licentiatis, & Baccalaureis Universitatis Cracoviensis dummodò sint Clerici, facultatem benedicendi tercentum Coronas aut Cruces, aut Sacra Numismata dummodò non sint ex ferro stanno, plumbo, vel ex fragili alia materia facilis

consumptionis, eisdemq; applicandi Indulgentias expressas in formula Romæ edita Typis Reveren: Camer: Apostolicæ, ut ab eorum singulis distribuantur occasione anteactæ solemnis sex Sanctorum Canonizationis, quos inter S. JOANNES CANTIUS Sacerdos Sæcularis adnumeratur. Datũ Romæ ex Secretaria Sacræ Congreg: Indulgentiarũ.

(L.S.) *Stephanus Borgia Sacræ Congregationis. Indulgentiarum Secretarius.*

IMPRIMATUR.

M. JACOBUS MARCISZOWSKI Can: Cath: Crac: Universitatis RECTOR.

Benedictis Coronis, Crucibus Rosariis aut Numisma-tibus seu Medaliis Sacris, ab habentẽ facultatẽ applicentur Indulgenti , dequib9 hæc brevis informatio subjungitur.

I. INdulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo *ex Professione Fidei à PIO. IV. decre a.*

II. INdulgentia definitur: *Remissio pœnæ temporalis, quæ post culpæ & pœnæ æternæ condonationem luenda superest; à leg timo Superiore extra Sacramentum concessa, per applicationem thesauri Ecclesiæ.* Dicitur. *Imo remissio pœnæ tem-*

temporalis (ejus scilicet quæ Deo debita est, non justitiæ humanæ) remissio enim pænæ æternæ, non fit per Indulgentiam, sed simul cum culpa per Sacramentum Pænitentiæ *in re, vel in voto* Dicitur 2do *pænæ quæ post culpa & pænæ æternæ dimissionem luenda supe est*. Dimissô enim peccatô, non semper tolli pænam omnem, patet ex Tract: de Pænitentia. Dicitur 3tiò *extra Sacramentum concessa*. Fit enim quidē in quolibet Sacramento ritè suscepto atque etiam per Missæ Sacrificium, aliqua pænæ remissio per applicationem satisfactionum Christi: At remissio hæc non est Indulgentia præsenti sensu intellecta. Aliunde Indulgentia nec Sacramentum est, nec Sacramentorum instar gratiam sanctificantem infundit. Dicitur 4tò *à Superiore legitimo* id est à PAPA, qui Jure Divino Indulgentias qualescunq; in tota Ecclesia concedere potest; cùm supremus sit Vicarius Christi & Caput visibile Ecclesiæ. Supremo autem Principi competit potestas dispensandi thesaurum comunem sine limitatione. Episcopi verò in sua Diæcesi, & Archi-

chi-

chi-Episcopi in tota sua Provincia, possunt Jure communi concedere tantùm Indulgentias unius anni in Dedicatione Ecclesiæ, & in Anniversario Dedicationis, vel alia ex causa, dierum duntaxat 40. ex Concil: Gener: Lateranensi IV. Cap: 62. Cardinales etiam non Episcopi dicuntur concedere Indulgentias 100. dierum ex concessione Papæ saltim tacita. Dicitur 5tò *per applicationem thesauri Ecclesiæ* Thesaurus Ecclesiæ, sunt bona opera ac satisfactiones superabundantes Christi, Deiparæ, Apostolorum, Martyrum & omnium justorum à primo justo Abel, usque ad ultimum, qui in fine mundi nasciturus est, quæ semper manent in Divina acceptatione, ac data sunt Ecclesiæ, ut ex iis simul junctis velut ex quodam spirituali publico ærario membris indigentibus communicetur.

III. I*Ndulgentia plenaria* seu *totalis* est, quæ remittit totam pænam temporalem debitam peccatis, quò ad culpam remissis. *Partialis* seu non *plenaria*

ria, quâ pars tantùm remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentia unius anni, vel plurium v. g. Septem annorum &c. vel 40. v. 100. &c. dierum; per quam scilicet tantum de pænis remittitur, quantum remitteret pænitentia austera, unius anni vel plurium aut 40. *v.* 100. dierum secundùm antiquos Canones facta. Vocantur *Quadragenæ*, *Quarantenæ*, *Carenæ*. *Sexagenæ &c.*

IV. INdulgentia *temporalis*, quæ ad certum tempus *v. g.* Septenniū, Decennium &c. concessa est. *Indefinita*, quæ absq; temporis determinatione tribuitur, & *perpetua*, quæ in perpetuum conceditur.

V. INdulgentia *Localis* est ea, quam lucrantur, qui sub conditionibus in Diplomate expressis, certum locum visitant. Circa hæc *Nota Imò* eandem Ecclesiam non posse simul geminâ Indulgentiâ potiri, licèt piæ Confraternitates specialem, in loco jam communi Indulgentiâ donato, Indulgentiam obtinere possint; 2*dò* non perire Indulgentiam, si Ecclesia per partes tantùm de-

strù-

ſtruatur, atque reædificetur, ſecus ſi omninò concidat, nec reædificetur. Etſi autem cenſent aliqui ſubſiſtere Indulgentiam, ſi Eccleſia in eodem loco reædificetur, multò tutiùs eſt, ut novæ Indulgentiæ obtineantur; 3tiò ad Indulgentiæ localis lucrum ſufficere, ut quis oret præ foribus Eccleſiæ quã ingredi non poteſt, niſi Bullæ verba expreſſè requirant ingreſſum in Eccleſiam, v. actionem, quæ ſinè hoc ingreſſu fieri non poteſt, puta Communionem in tali Eccleſia, aut viſitationem quinque Altarium, &c. Hæc autem viſitatio Altarium, cùm debeat eſſe ſenſibilis, aliquam ad ipſa requirit corporis aut capitis converſionem.

Indulgentia *Realis* eſt ea, quæ annexa eſt quibuſdam rebus piis, puta Cruci, Medaliis Roſariis, &c: & conceditur Fidelibus, qui res eaſdem devotè geſtãt, ſub conditionibus in Indulto expreſſis. Circa hanc *nota* 1*mò* re moraliter deſtructa, ita ut nec eamdem formam gerat nec eadem res eſſe in æſtimatione communi cenſeatur perire Indulgen-

 tiam

tiam 2*dò* ad lucrum Indulgentiæ realis necessum sæpius esse, ut rem deferamus nobiscum, juxta tenorem privilegii, 3*tiò* neminem posse lucrari Indulgentiam utendo re alteri ad Indulgentiam concessa, quia indulgentia, licèt realis ordinem dicit ad personas, quibus res sacræ distribuuntur. Indulgentia *personalis* est ea, quæ conceditur immediatè personis, seu in individuo, seu in communi, non tamen omnibus generatim, sed tali *v. g.* Sodalitio *v.* Confraternitati adscriptis; sive hi Clerici sint, sive Regulares: & hi omnes ubicumque fuerint, Indulgentiam per opera præscripta, seu sani, seu in articulo mortis lucrari possunt, secundùm tenorem Bullæ.

Indulgentia plenaria differtne à Jubilæo?

R. Non differunt quò ad substantiam, seu quò ad effectum remissionis totius pænæ, sed tantùm quò ad jurisdictionem & majorem facultatem *v. g.* absolvendi á Casibus reservatis & Censuris, dispensandi in votis & juramentis,

quæ

quæ amplæ ſolent concedi in Jubilæo. Ex quo patet quòd Jubilæum nihil aliud ſit, quàm *Indulgentia omnium pœnarum temporalium peccatis debitarum cum variis privilegiis & facultatibus*, ſupra nominatis.

Quæ conditiones requiruntur ad lucrandas Indulgentias?

℟. 1*ma*, ut ſit baptizatus talis, neque enim à Paſtore diſpenſari poteſt theſaurus, niſi iis, qui pertinent ad ovile, 2*da* Ut non ſit excommunicatus 3*tia* Ut Indulgentiâ pro tunc indigeat. 4*ta* Ut ſit in gratia, inimicus enim DEI, &c. reus pænæ æternæ, non eſt ſubjectum aptum, cui remittatur aliqua pæna, Unde Indulgentia nunquam conceditur niſi contritis & confeſſis aut verè pænitentibus. Imò aliqui putant neceſſe eſſe, ut omnia opera in Bulla injuncta perficiantur in ſtatu gratiæ 5*ta*. Omnia opera injuncta impleri debent integrè, in loco, & tempore, & ordine præſcriptis, & propter finem præſcriptum. Quia Indulgẽtia non cõceditur, niſi ſub

hac conditione, quâ proinde non impleta, simpliciter nihil obtinetur. Et Indulgentia solùm operatur secundùm intentionem concedentis expressam per verba concessionis. Hinc qui opus aliquod injunctum, vel partem ejus notabilem omittit, quamvis ex ignorantia, aut oblivione invincibili, vel impotentia nihil consequitur: quia simpliciter non implet conditionem cui adstricta est Indulgentia. 6*ta* Ad consequendam Indulgentiam plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur detestatio omnium illorum, & depositio affectûs ad quodlibet.

Teneturne quis opera præscripta implere per semetipsum?

℟. *Affirmativè*, quia communiter hæc est mens Pontificis.

Potestne unô actu lucrari quis duplicem Indulgentiam?

℟. *Affirmativè*, si ea sit mens concedentis, quia ab eo hæc res dependet.

Quid si utraque Indulgentia sit plenaria?

℟. Non posse unicô actu lucrari. *Ratio* quia prima plenaria, si revera obtine-

neatur, remittit totam pœnam; ergo nihil reſtat, quod tollatur per alteram: vel certè utraque concurrit, ut duplex cauſa partialis ad eundem effectum.

Quænam ſcienda ſunt circa opera præſcribi ſolita?

℟. ſequentia. 1*mò.* Dum in Bulla conceditur Indulgentia *contritis & confeſſis*, ad eam lucrandam, ſecundùm multos confeſſio non eſt neceſſaria habenti ſola venialia, quia putant eam deſignari tantùm ut mediū ad gratiam & remiſſionem culpæ ſed alii multi diſſentiunt, quia tunc Confeſſio requiritur tanquam unū ex operibus præſcriptis. Quare tutiùs eſt confiteri, idque conſentaneum eſt praxi Fidelium.

2*dò*. Oratio fieri debet per aliquod tempus, in loco, tempore, & ex intentione deſignantis. *Locus* eſt ordinariè, ubi eſt Indulgentia. *Tempus* eſt inter utraſque Veſperas. *Intentio* eſt pax inter Principes Chriſtianos, converſio infidelium, extirpatio hæreſum, exaltatio S. Matris Eccleſiæ, bonum ſpirituale Papæ niſi alia addantur. Secundùm

multos debet esse vocalis, nec valet, si fiat cum distractione voluntaria: nam talis Oratio non est religiosa, nec apta ad impetrandum id, quod Papa intendit.

3tiò modus servandi jejunium est ille, quem singulæ Provinciæ servant tali tempore in aliis jejuniis.

4tò Eleemosyna, si non determinetur per Bullam, fieri debet juxta, regulas prudentiæ, & dictamen internum: ita ut non detur quid minimum, spectata facultate dantis, nam minima non sunt in consideratione.

5tò. Non satis fit per Communionem sacrilegam: nam Communio præscribitur, ut opus bonum vivum & operativum gratiæ.

Quibus concedi possunt Indulgentiæ?

℟. Concedi possunt tàm vivis, quàm defunctis, cum hac tamen differentia; quód vivis cõcedantur per modũ sentẽtiæ seu judicialis potestatis eos à pœna absolvendo, defunctis verò solùm deprecativè per modum suffragii, auxilii, vel solutionis Deo factæ per oblationem satisfactionum Christi & Sanctorum ex Thesauro Ecclesiæ.

Quid, si talis anima non amplius esset in purgatorio?

Dico. Quód Deus illa suffragia applicet alteri, nisi tamen is, qui eam applicavit, intenderit alteri determinatæ animæ applicare, si prior non indigeat, vel non sit capax.

Translato festô transferunturne Indulgentiæ?

℟. Communiter non transferuntur, si festum fori quò ad solum Sacrum & Horas Canonicas transferatur. *Ratio.* Quia hæc censetur esse mens Pontificis, quam probat praxis Fidelium de tali translatione nihil scientium, aliud esset, si simul quò ad forum in alium diem transferretur, tunc enim etiã transfertur Indulgentia.

Quando cesset valor Indulgentiæ?

℟. *imò* cùm jam obtenta est; si pro una tantùm vice concessa sit. Porro pro una vice concessa censetur, quæ tali diei affixa est.

Quæ verò per totam Octavam, propter populi concursum perduraret, singulis semel diebûs percipi probabiliter posset, ut sentit *Lugo*

Ubi

Ubi nota quòd juxta Decretum S. Congregationis. *Translatô festo in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali, ut supra dictum*

2*dò*. Cessat per revocationem concedentis, successoris, aut Superioris; & hoc, etiam si quis jam incæpisset facere opera ad Indulgentiæ hujus lucrum necessaria. Verùm docent Navarrus & alii Indulgentiam subsistere, donec revocatio ejus moraliter pervenire potuerit ad locum, cui eadem concessa erat. Quod si Indulgentia generaliter concessa pro tali determinatè loco revocetur, non ideo pro locis aliis revocabitur.

3*tiò* Cessat per mortem concedentis, si concessa sit ad beneplacitum dantis. secùs si data sit, ut solet ad beneplacitum *Sedis Apostolicæ, quia sedes ipsa non moritur. Ita cap. 5. de Rescript: in 6.*

4*tò* Cessat ex parte subjecti, cui conceditur per ejus ab Ecclesia præcisionem: excommunicati enim nullam in com-

communibus Ecclesiæ bonis partem habent.

5tò. Cessat ex parte rei cui annexa erat per moralem ejus destructionem, solet tamen concedi, ut si amittatur vel frangatur Imago, granumvè talem habens Indulgentiam, possit prima vice granum aliud, vel alia Imago in locum prioris cum eadem Indulgentia substitui. Et tunc credit Lugo *non ampliùs priorem, sed posteriorem vigere Indulgentiam*; quia *verificata fuit conditio, ut posset rite eligi secunda, nempe quod prima fuisset amissa. Tutiùs tamen erit utramque retinere.*

6tò. Cessat quandoque ad tẽpus Indulgentia propter concursum alterius celebrioris, uti contingit tempore Jubilæi.

An Rosaria, Coronæ &c. si vendantur excidant ab Indulgentia?

℟. Affirmat. Ita definitum à S. Congregatione 14. Decembris 1722.

An cui concessum est ut cum Numismatibus, v. g. Indulgentias, seu ut ajunt intentiones distribuat suam hanc facultatem distribuendi, possit aliis impertiri?

℟.

℞. Negatt. 1mò. Quia hæc tanta facultas meritò prœsumitur cuipiam ob singularem ejus prudentiam, concessa. 2dò. quia sanxit Alexander VII. die 6. Febr. 1657. ne Indulgentia Rosario & Numismatibus affixa ab una Persona in aliam transiret, (citra speciale Privilegium) Unde si Religiosus *intentiones* ut vocant, non distribuit, dum ageret in vivis, non potest ejus superior eas post illius mortẽ distribuere.

Advertendum circa Indulgentias reales, id est certis rebus affixas, puta Numismatibus Sacris, Rosariis, granis &c. 1mò. ad hujus Indulgentiæ assecutionẽ aliquando requiri, ut quis rem secum deferat, aliquando tantùm ut eam domi decenter asservet. Unde inspiciendus concessionis tenor. 2dò. Perdita re vel fracta sic ut in æstimatione morali non eadem sit quæ priùs, perire Indulgntiam.

In dubio an res moraliter destructa sit, non potest proponi Indulgentia, nisi ut dubia.

3tiò. Tandem rebûs venditîs, aut cõmodatîs, perire in prior. casu Indulgen-

gentiam, non prodeſſe in poſteriori. Per Roſarium in Bullis Pauli V. Gregorii XV. &c. intelligi 150. Salutationes Angelicas cum Orationibus Dominicis quindecem, per Coronam Chriſti 33. *Pater* & *Ave MARIA*, per Coronam Dominæ Noſtræ 72. *Ave MARIA* cum Septem *Pater* &c.

Peractô ROMÆ Annô immediatè elepſô 1767. Actu ſolemnis Canonizationis S. JOANNIS CANTII Preſbyteri Sæcularis, in Alma Univerſitate Crac: Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, ſimilis actus Canonizationis ejuſdem S. CANTII Die Anniverſaria 16. Julii & ſequentibus Annô hoc currenti 1768. celebrabitur Cracoviæ Metropoli Regni.



Die XIX. Octobris,
In Feſto
Sancti JOANNIS CANTII Confeſſoris.

OFficium jam approbatum à Sacra Ritt. Congregatione, & infine Lectionis VI. diei Feſti poſt illa verba *reli-*

B7

religiosissime colitur addentur sequentia, novisque corruscans miraculis a CLEMENTE XIII. Pont. Max. XVII. Kalendas Augusti MDCCLXVII. *solemni ritu, Sanctorum Fastis adscriptus est.*

M I S S A.

In Festo

S. JOANNIS CANTII.

Confessoris, Regni Poloniæ & M. D. L. Patroni, *à S. R. Congregatione 23. Decembris 1767. approbata.*

Introitus *Eccl:* 18.

MIseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi pastor gregem suum.

Psal. 1. Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Gloria Patri &c.

Miseratio hominis &c.

O R A T I O.

DA quæsumus Omnipotens Deus, ut S. Joannis Confessoris exemplô in scientia Sanctorum proficientes,

atq;

atq; aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud Te consequamur. Per Dominum nostrum &c.

Commem: Dominicæ

Lectio Epistolæ B. Jacobi Apostoli. *cap. 2.*

SIc loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium. Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace calefacimini, & saturamini, non dederit autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Graduale Psal. 106. Confiteantur Domino misericordiæ ejus; & mirabilia ejus filiis hominum.

℣. *Psal:* 106. Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis. Alleluja Alleluja. ℣.

℣. *Proverb.* 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Alleluja.

✠ **Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam cap. 12.**

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utiq; & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offer-

Offertorium Job: 29.

JUstitiâ indutus sum; & vestivi me sicut vestimentô & diademate, judicio meo; oculus fui cæco, & pes claudo: Pater eram pauperum.

Secreta.

HAs quæsumus Domine hostias S. Joannis Confessoris tui meritis benignus assume; & præsta, ut te super omnia, & omnes propter te diligentes, corde tibi & opere placeamus. Per Dominum nostrum. &c.

Communio Luc: 6.

DAte & dabitur vobis mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superaffluentem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio.

PRetiosi Corporis, & Sangvinis tui Domine pasti deliciîs, tuam supplices deprecamur clementiam, ut S. Joannis Confessoris tui meritis, & exēplis ejusdem charitatis imitatores effecti, consortes simus & gloriæ: Qui vivis & regnas &c.

Lectiones propriæ secundi Nocturni cum Oratione pro Offic:

S. JOANNIS CANTII.

LECTIO IV.

JOANNES in Oppido Kęnty Cracoviensis Diœcesis, à quo CANTII cognomen duxit, Stanislao & Anna piis & honestis Parentibus natus, morum suavitate, innocentiâ, gravitate, ab ipsa infantia spem fecit maximæ virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiæ ac Theologiæ primùm Auditor, tum per omnes Academiæ gradus ascendendo Professor ac Doctor, sacrâ, quam annis multis tradidit, doctrinâ, mentes audientium non illustrabat modò, sed & ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, & faciens. Sacerdos factus nihil de literarum studio remittens, studium auxit Christianæ perfectionis. Utquè passim offendi DEUM maximè dolebat; sic eum sibi & populo placare, oblatô quotidie, non sine multis lacrymis incruento Sacrificiô satagebat. Ilcussiensem Parochiam annis aliquot egregiè administravit, sed animarum periculô commotus, postea dimi-

dimisit, ac postulante Academiâ ad pristinum docendi Officiũ rediit.

LECTIO V.

QUidquid temporis à studio supererat, partim saluti proximorum, sacris præsertim Concionibus curandæ, partim Orationi dabat, in qua Cælestibus quandoque visionibûs, & colloquiîs dignatus fertur. Christi verò Passione sic afficiebatur, ut in eâ contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque cau â melius recolendæ, Hierosolymam peregrinatus sit: ubi & Martyrii desideriô flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum prædicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina, pedes atque viariâ onustus sarcina Romam venit, tum ut Sedem Apostolicam, cui maximè addictus fuit, honoraret, tum ut sui (sic enim ajebat purgatorii pænas exposita illic quotidie peccatorum veniâ, redimeret. Quo in itinere à latronibus olim spoliatus, & num quid haberet præterea interrogatus, cum negasset, aure

os deinde aliquot ſuo inſutos pallio recordatus fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus; qui Viri Sancti candorem ſimul & largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidere. Alienæ famæ ne quis detraheret, deſcriptis Beati Auguſtini exemplo, in pariete verſiculis, ſe atquè alios perpetuò voluit admonitos. Famelicos de ſuo etiam obſonio ſatiabat. Nudos autem non emptis modò, ſed detractis quoquè ſibi veſtibûs & calceîs operiebat, demiſſò ipſe interim uſquè ad terrã palliò, nè domum nudipes redire videretur.

LECTIO VI.

Brevis illi ſomnus, atquè humi, veſtis quæ nuditatem, cibus, qui mortem duntaxat arceret. Virginalem pudicitiam, velut lilium inter ſpinas, aſperô ciliciô, flagellis atquè jejuniis cuſtodivit. Quin & per annos ante obitum triginta circiter & quinque, ab eſu carnium perpetuò abſtinuit. Tandem dierum juxta ac meritorum plenus, cum vicinæ, quam præſenſit, morti, ſe diu diligenterquè præparâſſet; ne qua re amplius teneretur, ſe

quid domi superererat, id omne pauperibus distribuit. Tum Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, dissolvi jam cupiens, & esse cum Christo, pridie Nativitatis ejus in Cælum evolavit: Miraculis ante & post mortem clarus. Mortuus, ad proximam Academiæ Ecclesiam Sanctæ ANNÆ delatus est, ibique honorificè sepultus. Auctaque in dies populi veneratione, ac frequentia, inter primarios Poloniæ ac Lithvaniæ Patronos religiosissimè colitur, novisquè coruscans miraculis à Clemente XIII. Pont. Max. XVII. Kalendas Au-MDCCLXVII. solemni ritu, Sanctorũ Fastis adscriptus est.

O R A T I O.

DA quæsumus Omnipotens DEUS, ut S. JOANNIS Confessoris exẽplo, in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud Te consequamur. Per Dominum.

D E C R E T U M.

Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ.

POrrectis Sacror: Ritt: Congregationi per Antonium ZOŁĘDZIOWSKI Canonicum Eccles: Cathedralis Cracov: Causæ Canonizationis S. Joannis Cantii Confessoris Postulatorem, accedentibus precibus Antistitum

Regni Poloniæ & M. D. Litt: pro approbatione supra-scriptæ Missæ propriæ in memoriam ejusdem Sancti JOANNIS CANTII Compatroni Principalis præfati Regni, & Magni Ducatus, nec non pro additione suprascriptorum verborum in fine tertiæ Lectionis secundi Nocturni recitandi in Officio prædicti Sancti. Sacra eadem Congregatio, audito prius R. P. D. Carolo Alexio Pisani Fidei Promotore, ad relationem Emmi & Rdmi Dni Cardinalis Albani Episcopi Sabinen: Ponentis, prædictam Missam accuratè revisam & examinatam, eademq; verba tertiæ Lectionis secundi Nocturni addenda, ut supra, benignè approbavit; ac in posterum in Festo S. Joannis Festo ab omnibus Ecclesiasticis in Dominiis dicti Regni & Magni Ducatus Litt. degentibus recitari ac imprimi posse concessit, si SSmo Dno Nostro placuerit. Die 19. Decembris 1767.

Facta deinde de prædictis eidem SSmo Dno Nostro relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 23. ejusdem Mensis & Anni 1767.

(L. S.) *Fl. Cardinal. Chisius Præfectus.*
V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS POTKANSKI Suffrag: & Officialis Cracoviensis mpp.

LITANIÆ DE S. JOANNE CANTIO.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.

Spir'tus Sancte DEUS, Miſerere nobis
Sancta Trinitas unus Deus. Miſerere nobis
Sancte JOANNES CANTI.
Vir inclyte.
Pater clementiſſime.
Myſtes optime.
Confeſſor venerabilis,
Famule JESU CHRISTI,
Deiparæ Virginis Cultor.
Mentium Beatarum imitator,
Hæres cœleſtis.
Polonorum decus,
Incola, & Tutor Cracoviæ,
Alumne Sanctæ ANNÆ,
Honorificentia populi Chriſtiani.
Fax virtutum,
Speculum innocentiæ.
Regula perfectionis.
Sacrarium timoris Domini,
Operator miraculorum,
Suſcitator mortuorum.
Firmamentum Academicum,
Doctor pacis,
Gloria Sacerdotum,
Sydus fulgens Eccleſiæ,
Contemptor mundi,
Domitor carnis,
Victor Sathanæ,
Patrone Studioſorum,
Magiſter ignorantium,
Lucerna ardens amore proximi,
Salus infirmorum,
Nutritie pauperum,
Refugium afflictorum,
Lumen cœcorum,
Vita morientium,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Liberator captivorum,
Exorator peccatorum,
Portus naufragorum,
Custos peregrinantium,
Auxiliator parturientium,
Præco Judicii Divini,
Tutelaris, & Patriarcha noster,
Consors Sanctorum Omnium.

Ora pro nobis.

Peccatores Te rogamus audi nos.
Ut nos ab omni calamitatum genere, custodire digneris, Te rogamus audi nos.
Ut toti Regno, Ecclesiæ, & Academiæ patrocinari digneris, Te rogamus audi nos
Ut nobis pacem gratiam & vitam æternam impetrare digneris. Te rogamus &c.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi Exaudi nos &c.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Kyrie eleyson Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Pater noster &c. Ave MARIA &c.

℣. Ora pro nobis S. JOANNES Canti.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Sanctum JOANNEM CANTIUM Confessorem tuum, atque nostrum apud te Patronum, eligere dignatus es, præsta quæsumus, ut quidquid mali peccatorum nostrorum turpitudine, dicto, facto, & cogitatione promeruimus, aut scienter, vel ignoranter commisimus, ejus pia intercessione, ab omnium inimicorum adversitatibus, ac tristitia mentis & corporis liberari mereamur. Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ORA-

ORATIO II.

DEUS castarum mentium & corporum summa pulchritudo, omniúq; scientiæ fons & origo, cõcede misericors, ut S. Joannis CANTII Doctoris, qui Tuæ Majestati casta mente & corpore placuit, ac sacræ doctrinæ famulatus est obsequiô, Ejus suffragante patrocinio pura Tibi mente & corpore serviamus, & cibô Cælestis doctrinæ pasti, in vitam nutriamur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

HYMNUS
DE
S. JOANNE CANTIO.

INclytum Regni Columen Poloni.
Magne Doctor. in Pater Alme Canti,
Lechicos inter radians Patronos,
Posce Tonantem.

Solis ùt claros rotat orbis ignes,
Sic micat nostro Tua Lux in Orbe;
Noctis ùt Princeps superat minores
Cynthia flammas.

Grande virtutum teneris ab annis
Te jubar cinxit, niveiq; dotes
Pectoris, devotaq; mens profundo
Numine mersa.

Regiæ Magni Jagielonis Aulæ,
Diva quam Pallas Cracidos beatis
Incolit tectis, Lapis Angularis
Atq; Columna es.

Te Sophûm Matræ virideſq; laurus
Quas Tuæ frontis nive consecrâsti,
Prædicant unum; Tibi de Tuoq;
Munere vivunt.

Terna Te laurus, triplici coronans
Fronde; mortali positum sub umbra
Jam perennantis beat [ut sitisti]
Pignore laudis.

Arte Cælesti probitatis in Te
Norma formata est, voluitq; pingi
In Tuo primùm speculo Togatæ
Regula vitæ.

Asperi carnem domuere cultus;
Cor Tibi flammis amor ussit ingens
Divitis prædæ data vestis instar
Cessit & esca,

Sæpiùs vestes tulit indigentum
Nuditas quæ cor Tibi lancinabat;
Quò tegis nudum, Tibi Christus ipse
Reddit amictum.

Virginum Virgo Tibi destinatum
Contulit vitæ decus innocentis,
Dum Tibi casta posuit virentem
Fronte coronam

Addidit pennas Tibi vis amoris
Ad viam Sacri properans Sepulchri;
Æstuans longè positas salutis
Curris ad undas.

Dulcis est visus Tibi sudor omnis,
Arctius qui Te superis ligabat;
Viluit Mundi comitata multo
Felle voluptas.

Noctium Sacras vigilesq; curas
Flammeus cordis superabat ardor
Tanta de Cœlo Tibi gratiarum
Copia fluxit.

Hinc Tibi sensus humiles, placentve
Ima, contemptus, tumidusq; sæcli
Vincitur fastus, pede mortis atra
Colla premente.

Bethleem dum Sol oritur tenellus,
Occidit Sydus Lechiæ coruscum
Fasciis carum tenuit JOANNEM
Te DEUS Infans.

Sic vetus transit rigor in beatæ
Gaudium vitæ, grave sed relictis
Vulnus hæsisset, nisi sacra nobis
Busta dedisses

Mira queîs grati data vis odoris,
Et solum latè reficit Polumq;
Ad Tuos dum tot Cineres stupenda
Computat acta.

Vota quot plebis pia tot fatentur
Luxq; cis sacrum Tumulum perennis,
Quam preces semper venias petentum
Pronus ad omnes.

Ergo Lechæi Diadema Regni
Protege summos Pater Alme Fasces:
Regia nam Te posuit Patronum
Numen in Urbe.

Vindices iras Solii tremendi
Tolle, placando; dabit hoc petenti
Summa Majestas, redeatq; Cœlô
Pax bona per Te.

Cracii Musis faveas Lycæi,
Magnus in Regno Lechiæ Patronus;
In Tuo Natos gremio Parentum
Optimè serva.

Mentium lumen, sapientiæque,
Impetra nobis jubar, ut beatô
Lucis æternæ potiamur omnes.
Te Duce Regnô

℣. Ora pro nobis S. JOANNES CANTI.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

O R E M U S.

O Præclarum & ingens exemplar veræ humilitatis, & summe contemptor mundi vanitatis S. JOANNES CANTI, Doctor pacis, & tranquillitatis Christianæ, auctor misericordiæ & condolentiæ super miseriam proximi, oro Te per ista dona, quæ Tibi sunt à DEO concessa, ut intercedas pro nobis in istis vitæ periculis constitutis, ut in castitate, humilitate, & amore DEI proximique viventes, rectâ conscientiâ & exemplo sanctæ vitæ, aliisque præluceamus, ac Domini Nostri JESU Christi, per solius meritum; & gratiam promissionibus digni efficiamur. Amen.

Vita Sancti JOANNIS CANTII,

Patroni Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lituaniæ, Universitatis Cracov: Patriarchæ, summariè descripta, juxta seriem sequentium Annorum.

1390. DIe 24. Junii ipsô Festô Sancti JOANNIS Bapt: in Oppido *Kenty* Diœcesis Cracoviensis: S. JOANNES CANTIUS Patre Stanislaô, Matre Annâ, piis & honestis Parentibus natus.

1413. S. JOANNES CANTIUS post sumpta Fdei, Pietatis, Literarum primordia in Schola Parochiali Kentensi, causâ sublimiorum scientiarum ad Universitatem Cracoviensem (Annô 1346. per Casimirum Magnum. R. P. erectam) venit. Albo Studentium inscriptus, Rectoratu Stanislai à Scarbimiria Sræ Theologiæ & Juris Canonici Doctoris.

& 1417, Sanctus JOANNES CANTIUS 25.
4115. ætatiis annô Lauream 1mam in A A. LL. adeptus & Baccalaureus Philosophiæ factus. Jam verò 27. ætatis annô Lauream 2dam consecutus, & Philosophiæ Doctor ac Magister renuntiatus

1432. & 1438. Officiô onerosô Decani in Facultate Philosophica, binîs vicibûs perfunctus.

1445. S. JOANNES CANTIUS S. Theologiæ Doctor creatus, eamq; sacram doctrinam multîs annîs professus est, docens simul & faciens. Commentaria in Matthæum in tres Tomos digesta, cùm Dissertationibus in Magist: Sententiarum & Librum Concionum conscripsit. Parochiam Ilcussiensem annis 8 administravit: 35. annis ab esu carnium & vini ante obitum suum abstinuit: semel Hierosolymam, quater Limina Apostolorum visitavit.

1464. Die 16. Junii Aquam ex fluvio *Rudawá*, miserens lacrymantis Ancillæ in lac convertit, multaq; alia miracula & prodigia virtute Divinâ in vita & post mortem operatus est.

1473. Die 24. xbris. In Pervigilio Nativitatis Christi Dñi, consummatô 83. annorum vitæ suæ tractu S. JOANNES CANTIUS, heroicîs in Academia & Ecclesia Dei virtutibûs clarus, obdormivit in Domino.

1600. Clemens VIII. nuper in Regno Pol: Nuntius, expost Romanus Pontifex, famâ sanctitatis JOANNIS CANTII plurimîs miracnlîs confirmata permotus, Imagines Illius publicæ Venerationi exponi, & in die obitus Ejusdem Missam de Sanctissima Trinitate celebrari indulsit.

1603. Feria 6. ante Dominicam SSmæ Trinitatis stante Jubilæo magno Ossa S. JOANNIS CANTII suavissimum spirantia odorem, è tumulo sublevata, in Altari reconduntur.

1676. Die 21 Martii Cultus immemorabilis S. JOANNIS CANTII ab Innoc: XI. approbatur.

1680. Die 17. 7bris. Idem Sum: Pontifex Officium sub Ritu dupl. & Missam de Communi Con-

fessor: non Pontific. in Die Obitûs S. JOANNIS CANTII celebrandam assignat.

1681. Idem Papa ad petitionem Joannis III. R.P. Festû S. JOANNIS CANTII die 19. 8bris. sive Dominica 4. ejusdem Mensi celebrari permittit.

1737. Ad Instantiam Augusti III. R. P. & Reginæ Mariæ Austriacæ, tum Episcoporum ejusdem Regni S. JOANNES CANTIUS in principalem Poloniæ & M.D. Lithvaniæ Patronum à Clemente XII. declaratur: S.R.C. Officium Ejus ad Duplex 1mæ Clais cum Octava elevat, Orationem propriam & Lect: 2di Noctur. de Eodem Sancto approbat, quod utrumq; Idẽ Clemẽs Papa Authoritate Apostolica confirmat.

1739. Die 9. 7bris Benedictus XIV. Missam Votivam de S. JOANNE CANTIO quavis Feria 5ta per Annum in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ (ubi Corpus Ejus quiescit) celebrari permittit, non obstante Festo Dupl. Majori in hancce diem incidente.

1767. Die 1. Januarii Clemens XIII. Papa feliciter Regnans, Qninque principalia Miracula per S. JOANNEM CANTIUM Divinâ virtute patrata, & juridicè recognita, approbat. Tandem die 2. Februarii in Festo Purificationis B. V. M. Decretum Canonizationis sub die 27. Januarii annô eodem à sua Sanctitate latum, solemniter publicari demandat. Deniq; die 16. Julii. Annô eodem in Festo Sacratissimi Scapularis B.V.M. S. JOANNES CANTIUS Romæ ab Eodem Clemente XIII. solemnissimè Canonizatus est, ad Gloriam Dei Ecclesiæ Militantis præsidium, & Fidelium Christi singulare patrocinium.

1767. Die 23. Decembris Missa propria à S. R. C. & SSmô Domino approbata.

***



